

EMANUEL DE SCHIMONSKY,

Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Princeps-Episcopus

Wratislaviensis Regio-Borussici Magnae Aquilae rubrae Ordinis Eques etc.

Universo Clero Dioecesis Wratislaviensis Salutem et Benedictionem.

1825

Desideratissimum catholicis Dioecesis Nostrae Wratislaviensis Incolis advenit tempus, quo Serenissimo et Potentissimo Rege nostro Friderico Wilhelmo III. clementissime annuente Nos Pontificiam illam communicamus, et publicamus Bullam, qua Sanctissimus Pater, Leo hujus nominis XII. Jubilaeum, quod prius pro Ecclesia Romana aperuerat, ad omnes Ditiones christiano-catholicas extendit.

Hac publicatione serio intendimus, et intensissime optamus, ut in Christo dilecti filii Nostri, gregis catholici Doctores, et Pastores, dictae Bullae tenorem, et sensum serio conatu penetrare, et ponderare studeant. In quem finem Nos hic quaedam attingimus, quae Sanctissimus Pater de natura, fine, et conditionibus Jubilaei edixit.

Naturam Jubilaei Sanctissimus Pontifex ita eloquitur: „Fideles catholici certum, et persuasum habeant, Ecclesiae a Christo Domino relictum esse inexhaustum meritorum suorum thesaurum, cujus divitias hominibus dividere in ejus esset potestate, quem Christus ipse visibilem pro se invisibili in eadem ecclesia caput constituit: cujus prudenti arbitrio merita illa modo amplius, modo arctius applicari possunt vivis ad modum absolutionis, mortuis ad modum suffragii, dummodo illi per Sacramentum poenitentiae culpam eluerint, aeternaque poena absoluti sint; hi, vero cum Deo charitate conjuncti e vita migraverint.

„In hac meritorum illorum applicatione Indulgentia posita est, per quam temporales poenae apud divinam justitiam peccatis debitae, plus minusque relaxantur, pro modo applicationis a Romano Pontifice constitutae, et praeparationis, quam Fideles ad eam afferunt. Jubilaei indulgentia plenaria est, etiam propterea, quod anno sollemnis remissionis, qui jubilaus dicitur, amplior poenitentiae ministris tribuatur facultas a peccatis absolvendi, et vincula, atque impedimenta relaxandi, quibus non raro Confitentium conscientia implicatur.“

Ex his jam intelligimus praevis finem et scopum Jubilaei. Institutio haec praeprimis eo tendit, ut fiat sollemnis quasi provocatio, magnum et vehemens incitamentum poenitentiae et verae Peccatorum ad Deum conversionis: quod patet ex monitis Sanctissimi Patris ad omnes animarum pastores: „Unusquisque sibi illud Prophetiae dictum putet: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.“

Inculcate auribus omnium, quod omnibus comminatus est Christus: „Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis.“ Incutite salutarem animis terrorem proponendo divini iudicii severitatem, et acerbitatem suppliciorum, quae parata sunt morientibus in peccato suo.

Verum et excitate in omnibus spem impetrandae misericordiae ab infinita bonitate Dei, qui se exspectare affirmat, ut misereatur, dicens: „Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus inquinamentis vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes praevercationes vestras, facite vobis cor novum, quia nolo mortem peccatoris, sed, ut convertatur, et vivat.“

Quae dulcissimae Dei voces animo peccatoris ingerunt, quanto amore dignus sit Pater adeo Sanctus et Misericors, quam indigna tanta bonitate ratio sit, offendere eum! Qua consideratione certe intimus orietur dolor, et detestatio peccati, certa et deliberata voluntas, vitam moresque emendandi. Unusquisque Fidelium hoc tempore recogitet, Deo omnes annos suos in amaritudine animae suae, peccata defleat et abluat, et sic denique convertatur ad Deum in toto corde suo, ut placatus Dominus, et ad populum suum vicissim conversus illi propitius fiat, atque bona pro flagellis debitis largiatur.

An forsitan haec ad poenitentiam provocatio minus respondet indigentis temporis nostri? temporis, quo irrupta perniciosissimorum librorum et lubricationum illuvie abrepti tam multi auditum a veritate avertunt, ad fabulas convertuntur, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, errantes, et in errorem mittentes? — temporis, quo tot existunt homines, qui speciem pietatis simulantes virtutem ejus abnegant, qui abusus tantum, et superstitiones fingentes se oppugnare, omnia religionis fundamenta penitus convellere student, qui populos ad libertatem, et ad jugum Principum suorum excutiendum invitant, imposituri illis, qui audierint, jugum gravissimum, et vincula in aeternum non dirumpenda? — temporis, quo tanta homines presserunt, et adhuc premunt mala, et fortasse graviora cervicibus minitantur, nisi resipiscant, ad saniora redeant, et dignis poenitentiae fructibus ab ira ventura fugiant?

Jam ad conditiones Jubilaei progrediamur, quae sunt digna prorsus Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae perceptio, et aliorum operum praescriptorum in spiritu et veritate executio.

Cum Jubilaei gratiam non lucratur, nisi per Sacramentum Poenitentiae Deo reconciliati, res omnis in eo vertitur, ut Ministri hujus Sacramenti hoc Jubilaei tempore munere suo sacro ardentissime simul, et sapientissime fungantur.

Hic, Filii in Christo dilecti! ad vos convertimur, paterne monentes, imo obnix obtestantes, ut alta mente ponderetis sublimitatem muneris vestri, quo vocati et consecrati estis ad continuandum magnificum illud, quod Christus in terris coepit, opus, illuminandi, emendandi, et salvandi homines. Ponderate munus, quo vocati et consecrati estis, ut peccatores in arduo conversionis suae negotio adjuvetis, eos competenter edocendo, apta emendationis remedia suppeditando, ad satisfactiones condignas eos adducendo, digne dispositis mediante absolutione sacerdotali animi tranquillitatem conciliando, indispositos vero absolutionis aut negatione aut dilatione ad meliorem sensum revocando.

O quantum munus! quo digne et fructuose solum ille fungitur, qui infucatae pietatis, amplae scientiae, probatae prudentiae, et singularis humanitatis dotibus eminet.

Imo, Filii in Christo dilecti, Sacerdotes, et Confessarii, prae omnibus vos orthodoxae fidei, et perfectae mentis et vitae probitati vos ex toto consecrate; praesertim Dei et hominum amore, et magno, attamen puro, animarum accensi zelo. Quam enim indignum, et horrendum, quodsi Sacerdos fide vera elapsus, Censuris, et peccatorum vinculis ligatus mysteria fidei dispensare, et sanctitatis remedia suppeditare sacrilego tentaret ausu! Probatae et expertae insistite prudentiae, et discretioni, qua statum Poenitentis moralem acute dijudicetis, poenitentem quemque pro individuis ejus indigentis et defectibus edoceatis, emendetis, et tranquilletis; qua satisfactiones salutares aequae ac ex omni parte convenientes injungatis: de quibus satisfactionibus sacramentalibus Sanctissimus Pater sapientissime monet: „Ani-
„madvertant Confessarii, non eam esse vim, et naturam Jubilaei, ut per ejus indul-
„gentiam omni solvantur homines obligatione offensae peccatis Dei justitiae satisfa-
„ciendi, quasi vero, quae Poenitentibus ejus rei causa a Sacramenti ministris per id
„tempus injunguntur, praestare necesse non sit: nam ad Sacramenti integritatem
„pertinet satisfactio illa; neque profecto alia mens nobis esse potest, dum permissa
„a Christo potestate, de severitate debitae peccatis poenae per indulgentiam remit-
„timus, nisi ut illi duntaxat tanto fruantur beneficio, qui omnia impleverint, quibus
„docente Christo didicimus velle justitiae suae Deum per infinita ipsius Filii sui Re-
„demptoris nostri merita satisfieri.“

Amplam et propatam porro, et in dies crescentem sectamini doctrinam, et scientiam: qua Poenitentem, si opus fuerit, eo inducat, ut statum animae suae funestum, delicta commissa quoad fontes, successivos progressus, et effectus eorum clare cognoscat, peccati malitiam, et inde contractam omnimodam miseriam et majoris in aeternitate contrahendae periculum vivacissime sentiat, et ita salubri timore perterritus ad illimitatum peccati odium, et intimum, ac amarissimum animi dolorem, et ad firmissimum progrediatur propositum, in spiritu poenitentiae veram vitae sectandi emendationem. Quam illico probare debet efficaci studio, tristes effectus peccati pro viribus tollendi, et damna sibi aut proximo in bonis animi, corporis, famae, et fortunae reparandi; ut sic ex toto corde ad Deum conversus rectam et sanctam sentiendi et agendi rationem constanter prosequatur. Proh! In felicem Sacramenti hujus ministrum, qui ob defectum debitae in hac parte scientiae coecus coecum ducit, et ambos in foveam misere disturbat.

Huic scientiae digni Sacramenti poenitentiae ministri singularem sociant humanitatem, qua nihil humani a se putant esse alienum; qua quidem peccatum odio, peccantem autem hominem fraterna prosequuntur commiseratione, qua cum mansuetudine et patientia errantes et lapsos veritati et virtuti lucrantur; qua confidentiam poenitentium amicabiliter sibi conciliant, et hac mediante eos adducant, ut sincera, forti, et integra confessione cor suum, et conscientiam pandant. Hanc humanitatem, patientiam et mansuetudinem Sanctissimus Pater praesertim illis Poenitentiae ministris commendat: „qui dum gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant, se non „posse absolvere: et tutum se coepisse consilium putant, si talem ad aliud tempus „absolvendum dimittant.

„Falluntur tales, nam illis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo „sunt constituti, qui ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. „Quodsi ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est: „ne vel nimia absolvendi facilitas facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas „alienet animas a confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem huic tribunali sacro imparati, attamen ejusmodi etiam, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu, qui „venit, non vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter, et mansuete cum „ipsis agere.“

Haec sunt, quae ad dignum Sacramenti Poenitentiae ministerium spectant, quo peccatores ex toto Deo reconciliantur.

His reconciliatis ad lucrandam Jubilaei indulgentiam recte porro injungitur dignissima sanctissimae Eucharistiae perceptio, qua, cum in ea ipse coelestium omnium donorum auctor Christus Dominus contineatur, nulla profecto res efficacior est ad ignem perfectae charitatis excitandum, dummodo ad coenam Domini accedentes eos animi sensus, et verae probitatis proposita concipiant, quae finibus Christi hac magnifica institutione intentis exasse respondeant.

Lucraturis Jubilaei indulgentiam tandem praecipitur, ut in certis sacris aedibus hoc tempore votis et precibus concordibus a Deo clementissimo ardentissime exorent, ut Ecclesiam, Filii sui Regnum, augeat sanctitate, et amplitudine exaltet, ut cunctis orbem purget erroribus, omnesque homines ad agnitionem veritatis, et in viam salutis inducat; ut inter Principes christianos illam, quam mundus dare non potest, pacem, et concordiam confirmet, ut salvum populum suum faciat, et haereditati suae benedicat, eamque ad coelestia dirigat.

Vult Sanctissimus Pontifex, ut hae publicae Fidelium supplicationes in certis aedibus sacris instituendae iisdem in memoriam revocent stationes illas, quae in priscis Ecclesiae temporibus fiebant, cum mos fuit Fidelium, ut certis diebus in sacris aedibus se includerent, ibique jejuni, orantesque, et annos suos recogitantes in amaritudine animae suae usque ad vesperam perseverarent. Quodsi nunc temporis Ecclesia minus requirit a Fidelibus suis, ut indulgentiam plenariam consequi possint,

cunque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super praescriptis hujusmodi visitationibus tantummodo, cum pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione hujusmodi dispensare, ac illis omnibus, et singulis sive per se ipsos, sive per eorum, earumque regulares Praelatos aut superiores, vel per prudentes Confessarios alia pietatis, charitatis aut religionis opera in locum visitationum hujusmodi, seu respective in locum sacramentalis Communionis praedictae ab ipsis adimplenda praescribere; atque etiam Capitulis et Congregationibus tam saecularium, quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque Ecclesias hujusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere possint ac valeant, earundem tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque novitiis, ut sibi ad hunc effectum Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum monasteria sunt constituta, approbatum; caeteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus, et cujusvis ordinis, congregationis, et instituti etiam specialiter nominandi regularibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad eundem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam cujusvis etiam diversi ordinis, et instituti regularem ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum civitatibus, dioecesibus, et territoriis confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum semestris spatium illas, et illos, qui scilicet praesens Jubilaeum consequi sincere et serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi ad confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicunque, ac Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcunque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, injuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de jure injungendis absolvere; nec non vota quaecumque etiam jurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praejudicio tertii semper exceptis, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus hujusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus super occulta irregularitate ad exercitium eorundem ordinum, et ad superiorum assecutionem ob censurarum violationem dumtaxat contracta dispensare possint et valeant, eadem auctoritate, et Apostolicae benignitatis amplitudine concedimus et indulgemus.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica vel occulta, seu defectu aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi,

seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. Praedecessore nostro incipien. — Sacramentum poenitentiae — sub datum Kalendis Junii Anno Incarnationis Dominicae 1741 Pontificatus sui anno primo. Neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint ullo modo suffragari posse, aut debere.

Caeterum si qui post inchoatum hujus Jubilaei consequendi animo praescriptorum operum implementum morte praeveniti praefinitum visitationum numerum complere nequiverint, Nos piaae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac sacra communione refectos praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si praedictas Ecclesias diebus praescriptis reipsa visitassent. Si qui autem post obtentas vigore praesentium absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud ac sincerum ad id alias requisitum propositum ejusdem Jubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi mutaverint, licet propter idipsum a peccati reatu immunes censi vix possint; nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Hujus autem consilii, et voluntatis nostrae declaratae rationem dirigimus praecipue ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios locorum Praelatos, sive ordinariam localem jurisdictionem in defectu Episcoporum et Praelatorum hujusmodi legitime exercentes, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes; eosque omnes per nomen Domini nostri, et omnium Pastorum Principis Jesu Christi enixe rogamus, atque obsecramus, ut attendentes ad petram, ex qua excisi sunt, suam cum Romana Ecclesia unitatem, et communicationem in hoc etiam ostendere gestiant. Populis itaque curae, ac fidei suae concreditae hoc tantum bonum annuncient, et declarent, atque eos de ineffabili Dei providentia, ejusque benignissima in nos charitate, quae in Jubilaei institutione, et effectibus maxime elucet, pastoralis diligentia admonere non praetermittant. Inexcusabilis enim jure meritoque habendus esset, ac propterea indignus, cui Deus misericordiam suam aliquando impertiret, quicumque peccator tam ampla, tamque facili veniae consequendae copia non uteretur. Episcopalis igitur muneris et officii sit summo studio curare, ut Christifideles omnes per poenitentiam verae salutis auctori Deo reconciliati, Jubilaei gratiam in animarum suarum lucrum utilitatemque convertant. Hoc autem minime fieri posse arbitramur, nisi Vos, Venerabiles Fratres, hanc pastoralis officii partem corde magno, et animo volenti Nobiscum unanimes implendam suscipiatis. Ut pascere, qui in Vobis est, gregem Dei recte et utiliter valeatis, eum abducite primum a venenatis pascuis, quae ubique, et insidiosae ad exitium illi obiciuntur, detegite laqueos hic illic latentes, et adversus nefandam tot errorum colluviem, ac tot pravorum hominum impia dogmata Vos gregem vestrum sanctis, aptisque monitis confirmate. Quodsi forte occurrant Vobis, qui sanam doctrinam non sustinent, et a veritate auditum avertunt, ut ad fabulas convertantur, Vos ne despondeatis animum, sed

memores cujus personam geratis, et cujus causa Vobis commissa sit, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina; nec cessetis, donec Christus in Vobis, et per Vos ubique regnet, ubique triumphet. Nec Vos hostium numerus, calliditas aut furor deterreat; nam certamen forte quidem dedit nobis Dominus, sed ut vinceremus, et sciremus, quoniam omnium potentior est sapientia, ea utique sapientia divina, qua Christianorum Pastorum gressus praecedente, atque dirigente manus et corda, nunquam portae inferi praevaluerunt, aut praevalerunt adversus Ecclesiam Christi. In primis autem omni vigilantia et studio in id incumbite, ut de medio gregis vestri tollatis tot impios, impuros, et pestilentes libros, quos virulentus hostis humani generis incredibili colluvione evomit undequaque, et propter quos nunc maxime lugendum est cum Propheta: *Maledictum et furtum et mendacium inundaverunt super terram, et sanguis sanguinem tetigit.* Nec mores tantummodo pessumire, sed Fidei etiam fundamenta concuti, et Religionis nostrae sanctissimae dogmata omnia labefactari hac pravorum librorum peste boni omnes lamentantur. Assumite, Venerabiles Fratres, uno spiritu, et una mente, assumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, arripite gladium spiritus, quod est verbum Dei, et certate bonum certamen. Si Deus pro nobis, quis contra nos? nec diffidatis charissimos in Christo Filios nostros Reges et Principes, omnes Catholicos certissime futuros esse pro Vobis. Cum enim plerique eorum pro Jubilaei ad sua quisque regna et dominia extensione, quod nos jam longe antea Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplo ad universum orbem extendere decreveramus, Nobis pie et humiliter supplicaverint; fieri non potest, quin ea, quae ad Jubilaei consecutionem pernecessaria cognoscuntur, per vos in populis sibi subditis pastoralis zelo curari gaudeant, ac sua etiam auctoritate studeant promovere. Sincera pietas, rectique amor et studium, quo omnes par est incendi, Nobis etiam tacentibus, eos compellit Ecclesiam Christi, cujus filios se esse jure gloriantur, ab omnibus injuriis tutari, et fidelibus sibi subditis ex debito propriae dignitatis et officii prospicere in iis praesertim, quae ad fidem et animarum salutem spectant. Nullus eorum ignorat scriptum esse: *Non est potestas, nisi a Deo.* Et alibi: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Non est, qui non videat, experientia ipsa etiam ultimis hisce temporibus manifestissime comprobante, unam eandemque esse causam Ecclesiae, et causam Principum; neque enim reddentur Caesari, quae sunt Caesaris, nisi prius quae Dei sunt, Deo fideliter reddantur. Unus igitur sit, Venerabiles Fratres, et in illis et in Vobis religionis amor, unaque in Dei gloriam, integritatem fidei, et morum atque populorum felicitatem procurandam sancte omnes conspirare; atque ita fiet, ut regnum Christi pariter, ac Principum thronus per hanc nostram universalem Jubilaei indictionem, ejusque piam in singulis orbis catholici partibus consecutionem magis in dies roboretur, vigeat, et exaltetur.

Ad vos denique Catholicae Ecclesiae filii universi, sermonem nostrum convertimus, omnesque et singulos serio hortamur, et rogamus, ut, cum Nos Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, et piis omnium Fidelium votis obsecundantes ad universum orbem catholicum amplissimam Jubilaei veniam extendamus, vos non in vacuum tantam Dei gratiam recipiatis. Si unquam alias, nunc certe pernecessarium est, filii dilectissimi, redire ad cor, facere fructus dignos penitentiae, et fugere a ventura ira. Hoc clamant, hoc suadent ipsa, quibus jam dudum premimur, mala, et quae graviora fortasse cervicibus nostris minitantur, nisi repiscamus, et ad sanio-

ra vere redeamus: nam adhuc manus ejus extenta. Audite igitur haec omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem; pro Christo enim legatione fungimur, et hortamur pro Christo; reconciliamini Deo, poenitentiam agite, attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; ex fructibus eorum cognoscetis eos: doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci. Multi enim vos circumstant pseudochristi, et pseudoprophetae, qui speciem pietatis simulantes, virtutem ejus abnegant; qui abusus tantum, et superstitiones fingentes se impugnare, omnia religionis fundamenta penitus convellere student; qui vos ad libertatem et ad jugum Principum vestrorum excutiendum invitant, imposituri vobis, si eos misere audiat, jugum gravissimum, et vincula in aeternum non dirumpenda. Saepite igitur aures vestras spinis, et linguas nequam nolite audire. Abjicite de manibus vestris libros omnes impios, et impuros; hi enim sunt calix ille aureus Babylonis plenus omnium abominationum, in quo propinatur incautis venenum mortiferum. Non pigeat primorum Christianorum fidem, et exemplum imitari, qui evangelicam veritatem et scientiam salutis edocti, libros vanam et fallacem doctrinam continentes, quotquot reperire erat, Apostolis tradebant comburendos. Ecquinam erit inter Catholicae Ecclesiae filios tam deplorata fide et moribus, qui ad Jubilaei gratiam consequendam renuat sacrificare Domino abominationes Aegyptiorum? Omnes itaque in Christo Jesu iterum iterumque obtestamur, ne divitias bonitatis, patientiae, et longanimitatis Dei contemnatis, neve ignorantes, aut ignorare volentes, quod benignitas ejus ad poenitentiam vos adducit, thesaurizetis vobis iram in die irae: verum unusquisque vestrum recogitet Deo omnes annos suos in amaritudine animae suae; peccata defleat, et abluat, errores ejuret, magistrosque erroris detestetur, et fugiat, sic denique convertatur ad Deum in toto corde suo, ut placatus Dominus et ad populum suum vicissim conversus, illi propitius fiat, atque plurima bona pro flagellis debitis largiatur in hoc saeculo, multo majora in altero largiturus.

Praesentes quoque literas per omnia validas et efficaces existere suosque plenarios effectus ubicunque per locorum Ordinarios publicatae et executioni demandatae fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus in hujusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione et itinere se recipientibus plenissime suffragari volumus, atque decernimus, non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, et generalibus seu specialibus absolutionum, seu relaxationum, ac dispensationum, reservationibus, nec non quorumcunque etiam Mendicantium, et Militarium ordinum, congregationum, et institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, et instituti hujusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes pro hac vice, et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si exhibitae forent, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae extensionis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo Quinto Octavo Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B. CARD. PRODATARIUS

*Pro Domino Cardinali Albani
F. Capaccini, Substitutus.*

*Visa
De Curia D. TESTA.*

F. Lavizzarius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Millesimo Octingentesimo Vigesimo Sexto, Indictione Quartadecima die verò Prima Mensis Januarii in Festo Circumcisionis ejusdem Domini Nostri JESU CHRISTI, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ DUODECIMI Anno Tertio supradictae Literae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Lateranensis, et aliarum Basilicarum, itemque ad valvas Cancellariae Apostolicae, Magnae Curiae Innocentianae, et in Acie Campi Florae atque in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Josephum Cherubini Apostolicum Cursorem.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.